



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 18. De Samaritana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

proximos, qui sunt domus Dei. Vnde cum videmus fratrem nostrum currere ad vanos ludos, ad congressus lasciuos, aliaque proximorum offendicula, similiter cum audimus blasphemantem, murmurantem, conuitijs alios laceffentem, debemus eum admonere, absterere, reprehedere, & quatenus possumus a malo reuocare. Si enim fuerimus frigidi, & nobis tantum, animaque nostrae, neglecto proximo, attenderimus; recordemur illius serui pigri, qui talentum suum absconderat. Is enim neque accusatus, neque punitus fuit, quod talentum abiecisset, sed quod otiosus eo vti noluisse.

Mat. 25.



MEDITATIO XVIII.
DE COLLOQVIO DOMINI CVM SAMARITANA.
PUNCTA MEDITATIONIS.

- Joan. 4.* I. *Discipulis in Ciuitatem Sichar pro cibo euntibus, IESVS fatigatus, apud puteum sedens petijt à Samaritana potum.*
- II. *Mulieri miranti dixit: Si scires domum Dei petijsses à me aquam viuam, dixitque ei se esse Messiam, significans Patrem esse, qui querat adoratores in spiritu & veritate.*
- III. *Discipulis monentibus, vt manducaret,*

MEDITATIONVM. 59

ret, respondit: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris. Rogatusq̄ à Viris Urbis Sichar ibidem hæsit, per triduum ex illisq̄ multi crediderunt in eum.*

F I G V R A E.

1. **S**eruus Abrahami in Mesopotamiam *Gen. 24.*
ad accipiendam vxorem filio Isaac Domino suo profectus, cum peruenisset ad puteum aquæ vrbi vicinum, venit Rebecca cum hydria ad accipiendam aquã, à qua paxillum aquæ sibi præberi petijt ad bibendum.
2. Iacob peregrinatus in Mesopotamiam inuenit Rachelem, quæ postea eius fuit sponsa, iuxta puteum aquæ, cum qua locutus est, & indicauit se esse eius cognatum. *Gen. 29.*
3. Elias profectus in terram Sidoniorum, sitiens aquam petijt à vidua Sareptana. *3. Reg. 17.*

P R O P H E T I Æ.

1. **P**rabuisti mihi laborem in iniquitatibus *Esa. 43.*
tuis.
2. *Inuenerunt, qui non quasiuerunt me: Esa. 65.*
ecce eo ad gentem, qua non innocabat nomen meum.

Esa. 41. 3. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: Ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam riuos aquarum.

DOCUMENTA.

1. **M**V L I E R *da mihi bibere.* Sitis Christi est desiderium nostræ iustitiæ & salutis. Tunc ergo Dominus potum postulat à nobis, quâdo internis inspirationibus nos impellit, vt relictis peccatis conuertamur ad se, fontē aquæ viuæ salientis in vitâ aternâ.
2. Tunc etiam Dominus à nobis postulat potum, quâdo in membris suis, qui sunt pauperes inopia oppressi petit eleemosynam & auxilium temporale. Ipse enim dixit. *Sitiui & dedistis mihi potum. Et quod fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis.*
3. Christus ex habitu à Samaritana agnitus est Iudæus, sic nos, si velimus imitari Christum, eo habitu vti debemus, quo cognoscamur esse Christiani. Sic enim hoc tempore elanguit religio, & creuit vanitas, vt aliquando multæ infidelium sectæ honestate vestium superent Christianos.
4. Christus conuersurus Samaritanam, eam expectauit iuxta puteum, quo ventura erat, præsentemque primùm allocutus est de aqua materiali, sensim eam deducendo in notitiam & desiderium aquæ spiritualis, vt doceret, eos qui se profitentur Pastores & curatores animarum, primò expectandam occasionein & oportunitatem agendi cum aliquo peccatore, deinde sermonem inferendum, non de rebus, quas ille non capit, aut à quibus abhorret, sed quæ eius professioni cōueniunt, vt pederentim & quasi

& quasi aliud agendo, in sermonem de salute spirituali delabatur.

5. Christus Samaritanæ aquam viam peccanti iussit, ut aduocaret virum suum, nec ante ei innotescere voluit, quam confessa esset, hominem quo cum habitaret, virum suum non esse. nunquam Dominus se per gratiam suam alicui communicat, vel eum meritorum suorum participem facit, nisi prius se humiliet, & sincere peccata sua confiteatur.

6. *Qui biberit ex hac aqua, inquit Christus ad Samaritanā, sitiet iterū. Qui autē biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Aqua huius mundi, designat amorem, bonorum, voluptatumque terrenarum, quæ non possunt extinguere sitim; sed augent potius. Aqua verò Christi, quæ significat amorem Dei & rerum caelestium, sitim extinguit in aeternum. Sanctus enim hic amor, explet totum cor nostrum, & omnino terrena desideria omnia consumit.

7. Discipuli mirabantur Christum loqui cum muliere: Dominus ea cautela usus est, ut nec sepe, nec solus mulierem alloqueretur, non propter se, qui erat Deus, sed ut formam daret nobis, & imprimis hominibus religiosis & spiritualibus, quemadmodum agendum sit cum mulieribus; videlicet raro, paucis verbis, & non sine comite.

8. Samaritana relicta hydria abiit in ciuitatem, ut ciuibus suis annuntiet Christum. Sic Prædicator Euangelicus in viam se datus ad prædicandum alijs, debet prius relinquere, hydriam, id est, deponere curas, & onera huius mundi, hoc est, deserere carnales cupiditates, & deinde alijs veritatem tradere.